



The Holy See

**DISCORSO DI PAOLO VI
AL CONSIGLIO DELLA SEGRETERIA GENERALE
DEL «SYNODUS EPISCOPORUM»**

Venerdi, 15 gennaio 1971

Venerabiles Fratres,

Intimo gaudio afficimur, dum vos coram adstantes cernimus, qui Urbem petistis tertium acturi conventum Consilii Secretariae Generalis Synodi Episcoporum.

Vester enim conspectus menti Nostrae gratam ingerit recordationem Nostrorum in Episcopatu Fratrum, communionisque hierarchicae vincula, in profectum Ecclesiae Sanctae Dei, artiora et firmiora reddit.

Supervacaneum sane est hic iterum commemorare, quanti faciamus opus a vobis Consilio Secretariae Generalis Synodi impensum, necnon curam, qua auxiliatricem operam confertis ad apparandum proximum eiusdem Synodi coetum generalem, quem indiximus, quique, Deo favente, cogetur pridie Kalendas Octobres huius anni, cum liturgica memoria recoletur S. Hieronymi, Presbyteri et Ecclesiae Doctoris.

Gratias tunc agemus Deo, quia «bonum et iucundum est habitare fratres in unum» (*Ps. 132, 1*): accedent enim ad Nos ab omnibus Conferentiis Episcopalibus delecti Antistites, eorumque licebit uti consiliis circa duas quaestiones, quae maxime Nobis cordi sunt: sacerdotium ministeriale dicimus et iustitiam in mundo.

Etenim experiendo his proxime praeteritis annis clarius intelleximus, quam vera essent et ad nostrorum temporum necessitates accommodata ea quae Concilium Oecumenicum Vaticanum II docuit, nimirum «Optatam totius Ecclesiae renovationem . . . a sacerdotum ministerio . . . maxima ex parte pendere» (*Optatam totius, Prooemium*). Hac igitur de causa consentaneum erat ut res tanti momenti pro vita Ecclesiae - quam quidem suis studiis nuper etiam collustrarunt non solum singulae Conferentiae Episcopales, sed etiam theologi spiritualisque vitae magistri - primum praeberet argumentum in proximo coetu Synodi perpendendum.

Quaestio vero de iustitia in mundo promovenda eo spectat ut magis in dies Catholica Ecclesia conferat ad instaurandam in mundo hodierno iustitiam sociale, ac quidem tam difficili eius historiae tempore. Copiose profecto de his rebus egit Oecumenicum Concilium Vaticanum II, praesertim in admiranda Constitutione Pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis; Nosque Ipsi ad huiusmodi quaestionem animum saepe convertimus, potissimum in Encyclicis Litteris, quae a verbis «Populorum progressio» incipiunt. At vero hoc argumentum novum semper exposcit studium novumque nisum, ut Ecclesiae opus in hac provincia iugiter renovetur et veris necessitatibus respondeat. Sane ex «ipsa missione religiosa (Ecclesiae) munus, lux et vires fluunt quae communitati hominum secundum Legem divinam constituendae et firmandae inservire possunt» (*Gaudium et Spes*, 42).

Gratias igitur vobis, Venerabiles Fratres, agimus ex animo, et vobiscum preces Nostras fundimus ut «desursum» «a Patre luminum» (Cfr. *Iac.* 1, 17) adiutorium illud descendat, quod fructus afferat laborum quos impenditis amplius pervestigandis, ut oportet, quaestionibus quas commemoravimus, quasque pertractandas suscipiet proximus Synodi coetus. Sit superni huius «doni perfecti» (*Ibidem.*) pignus, sit benevolentiae Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam peramanter vobis omnibus impertimus.